

**Disputatio medica inauguralis de rubeola ... / Eruditorum examini subjcit
Lawson Whalley.**

Contributors

Whalley, Lawson.
Baird, George Husband, 1761-1840.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et socii, 1804.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kvpky93s>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

52675/P

Mudg

IP
/WHA

BW 7

430

RUBEOLA

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RUBEOLA.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RUBEOLA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

LAWSON WHALLEY,

ANGLUS;

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

*Ut alimenta sanis corporibus Agricultura, sic sanitatem agris
Medicina promittit.*

CELSUS.

Pridie Id. Septembris, horâ loquoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1804.

DISPUTATIO MEDICA
INAEURALIS

RUBICOLA

D. GEORGI BARRD, S.S.P.

PRO GRADU DOCTORIS

J. W. SON, W. H. A. L. L. Y.



Printed and Published by J. W. Son, W. H. A. L. L. Y.

For the Department of the University of London

Printed by J. W. Son, W. H. A. L. L. Y.

ERUDITISSIMO VIRO

JOSHUÆ WALKER, M.D. &c.

NOSOCOMII LEEDESII MEDICO PRIMARIO,

HUNC LIBELLUM

D. D. CQUE

LAWSON WHALLEY.

ERUDITIONE VITO

JOSHUE WALKER, M.D. Sc.

MONITORII LIBRARI BANCHE PRIMAIO

NUO C LIBRUM

N. D. C. S.

JAWSON WHALLEY

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RUBEOLA.

MORBORUM omnium, qui infantes vel homines arripiunt, perpauci vel fortassè nullus magis, quàm *Rubeola* summam medici attentionem sibi vindicat. Morbus *Rubeola* dicta, de quo agitur, in ordine *Exanthematum*, a Doctore CULLEN meritò celeberrimo nosologo, ponitur, et sic ab eo definitur :

A


“ *Synocha*

“ *Synocha* contagiosa cum sternutatione,
 “ epiphora, et tussi sicca rauca. Quarto die
 “ vel paulò seriùs, erumpunt papulæ exiguæ,
 “ confertæ, vix eminentes, et post tres dies,
 “ in squamulas furfuraceas minimas abe-
 “ untes.”

HISTORIA MORBI.

RUBEOLA primùm in Egypto, et regionibus interioribus Arabiæ, sub finem seculi sexti, vel initio septimi, apparuit; et inde exercitibus Saracenum, vel negotiatoribus, primùm in Hispaniam, et deinde in partes reliquas Europæ delata est. Hic morbus plerumque febris acutæ, inflammatione comitatæ, originem dat. Infantes sæpissimè, interdum tamen etiam ætate proveciores, semel tantummodo in vita, arripit. *Rubeolam* longè pervagari mense
 Januarii

Januarii dicit SYDENHAMUS, vehementiùsque sævire ad equinoxium vernum usque, quo periculosissimum est; deinde mensibus Junii vel Julii minus valere, et tunc ferè omninò cessare; sed contagio admissio, omni tempestate anni accidere posse.



SIGNA MORBI.

PRIMÒ, rigor, horror, calor atque frigus, ægrum premunt, et inter sese alternant. Deinde signa febris magis conspicua, calor scilicet major, ægritudo plus minusve urgens, sitis, anorexia, lingua alba, tussis sicca, gravedo ac rubor oculorum, quædam lucis intolerantia, somnolentia, urgent. Lachrymæ ex oculis, et humor plerumque acris e naribus distillant. Æger sternutat, et nonnunquam vomuit; palpebræ tument, et rubescunt:
diarrhœa

diarrhœa etiam interdum accidit, sed rarò nisi dentes accipientibus. Hæc signa ad diem usque quartum vel aliquando quintum ingravescunt, quo maculæ exiguæ, rubræque in facie, formâ racemorum, apparent, et in numero et magnitudine accrescunt, atque ad partes alias totius corporis propagantur. Papulæ supra cutem parum eminent : die sexto, vel aliquando quidem septimo, deflorescunt, et cuticula in partibus papulis affectis mortua, more squamarum exiguarum vel farinæ, decidit. Hinc partes asperæ fiunt. Die octavo papulæ penè evanuerunt ; nono prorsùs. Eruptione manifestâ, signa alia morbi non tam allevantur, quàm in variolis. Eo modo, *Rubeola* plerumque incipit, crescit, atque desinit : nonnunquam tamen ejus curfus longè aliter est, et gravissima sicca tussi comitatus, diebus etiam quatuordecim vel amplius, priusquam papulæ in trunco corporis conspiciuntur. Quibusdam ægris gravissimè vexatis, *Cynanche Tonsillaris* adest. Papulæ sæpe, similes variolæ pustulis, prominent ; et post eruptionis

eruptionis discessum squamis parvulis, furfuri haud absimilibus, cuticula non separatur. Papulis subito recedentibus, sensus angustiae in praecordiis, nausea, delirium succedunt.


Professor GREGORY, in praelectionibus suis, mentionem facit de casu puellae, quae vere, aëre frigidissimo, *Rubeola*, et etiam simul *Cholera Accidentali* affecta est; brevi tamen tempore magis indies convaluit et vires consuetas recepit. *Ophthalmia*, *Phthisis Pulmonalis*, *Pneumonia*, aliique affectus inflammatione comitati, et interdum etiam *Apoplexia Hydrocephalica*, *Rubeolam* subsequuntur. Doctor WATSON speciem alteram descripsit, quam placuit ei *Rubeolam Putridam* dicere; et haec ejus indicia sunt:

Oculi inflammati et aquosi, tussis, debilitas magna, sunt indicia primaria. Postero die accedunt proclivitas ad somnum, febris magnopere aucta, capitis dolor atque gravedo; et nunc jam die secundo, papulae per totam superficiem

perficiem corporis conspici possunt. Tussis et oculi inflammati, magis urgent, calor, inquietudo, et oppressio ægrum vexant. Est plerumque difficultas spirandi, et excreatio penè nulla. Cutis est sæpiùs sicca; fauces rubræ, lingua immunda; sitisque urget. Pulsus arteriarum admodum frequentes sunt, sed rarò pleni; debilitas summa. Hoc modo eruptio, calor, signaque inflammationis, plus minusve secundum morbi vehementiam, per quatuor vel quinque dierum spatium pergunt, et tunc paulatim desinunt. In quibusdam tamen signa magis inordinata, sed plerumque diem circiter quartum leniora fiunt.

Post febrem et eruptionis discessum, periodus morbi secunda incipit. In hac oculi nonnullorum aquosi ulcusculis afflictantur: tussis, spirandi difficultas, et oppressio permanent; interdum tamen paulo graviora, simul cum anxietate magna, excreatione. vix ullâ. Sitis minor, pulsus frequentes, sed debiles et sæpe inordinati sunt. Debilitas major ma-
jorque

iorque fit, præsertim si diarrhœa adest. Æger maceratur, et, delirio præsentè, signum mortis certissimum est. Si verò siccitas cutis desiêrit; si halitus per cutem liber redierit, si anxietas, tussis, spirandique difficultas minuuntur, et si eodem tempore vires æger recipit, faustum est: cùm autem signa longè aliter sese habent, infaustum.




CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

SATIS omnibus medicis persuasum est puerilem ætatem plerisque morborum multò magis opportunam quàm adultam, esse. Pueritia tenera, et facillimè læsa, rebus externis, vel stimulantibus, citissimè movetur, et plus equo excitatur. Hoc modo igitur tenera irritabilis ætas *Rubeolæ*, dummodo causa excitans adsit, vel aliis morbis obnoxia fit. Adulti quidem

dem firmiores sunt, igiturque minus irritabiles; hinc res stimulantes multò faciliùs ferunt, et fortassè propter vires eorum minus facilè *Rubeolâ* afficiuntur. Causæ tamen vires adulatorum, quidem valentissimorum, superare possunt, et eos hoc modo implicare, nisi eo antea afflicti fuerint. Ætate adultâ signa omnia plerumque vehementiora, quàm pueritia; ratio medendi autem eadem est utriusque.


Nihilo tamen seciùs confitendum est, aliquid parum nobis cognitum, certis temporibus in corpore humano, vel in aëre id circumeunte, esse videri; et *Rubeolæ*, aliisque morbis e contagio orientibus, favere.



CAUSA EXCITANS.

CAUSA excitans, est quoddam peculiare contagium, quod in corpus receptum, notis vel
signis

signis omnibus *Rubeolæ* originem præbet. Naturæ autem hujus contagii, et modi, quo hunc morbum excitat, inscii sumus.



RATIO SYMPTOMATUM.

RUBEOLA, ut jam dictum est, e contagio peculiari oritur, quod sensus omnes nostros fugit, quod autem vim stimulantem habere videtur, quæ actionem cordis arteriarumque accelerat, statumque corporis inflammationem habentem producit. Hæc materia stimulans contagii, membranam mucosam, vel Schneiderianam, partes internas narium obtegentem, maximè afficit. Oculi etiam lachrymis implentur, quæ magis copiosè, et fortassè præter naturam acres, secretæ, quàm puncta lachrymalia transmittere possunt, partim trans ge-

B

nas

nas fluunt, hinc epiphora fit, partim in nares, tum coryza et sternutatio excitantur. Membranæ internæ quoque narium, oris, laryngis, et ramorum asperæ arteriæ, plus minusve inflammatione afficiuntur: hinc halitus mitis, vel secretio earum, initio morbi, præter naturam augetur, et corrumpitur, paulo temporis autem fermè impeditur. Halitu miti ex his partibus sano in statu, necessario ad voci harmoniam naturalem dandam, minuto, vel omninò impedito, vox, tono consueto amisso, fit rauca. Quum autem materia acris fauces, laryngem, vel membranam internam pulmonis irriter, ad submovendam causam irritantem movetur tussis, et, propter irritationem continuam, perpetua ac molestissima fit. Hæc acris materia quoque nonnunquam, cum superficiem internam pulmonis, longo temporis spatio irrat, tuberculis ortum dat, etiamsi parva seu nulla proclivitas corpori ad scrofulam insit. His tuberculis vasa sanguinem vehentia comprimentibus, effusiones sanguinis, et *Hæmoptysis* accidunt.

Ex

Ex his vitiis quoque pus nonnunquam formatur, quod *Febri hectica*, et *Phthisi* viam sternit. Quot et quanta mala eruptionem immaturè recedentem sequantur, satis cuiquam apparebit, qui non omninò ignorat de consensu intimo inter pulmones superficiemque corporis. Cùm eruptio ante tempus consuetum evanescit, sanguis ab externis partibus ad interna propellitur, inde oppressio pulmonis sæpe fit; e qua oriuntur collectiones et effusiones sanguinis, quæ, motu libero pulmonis penè impedito, *Dyspnœam* incitant. Sin autem spasmus vasis ultimis pulmonum obsistit; tum, propter actionem cordis ac arteriarum auctam, *Pneumonia*, aliique effectus inflammatione, vel pulmonis, vel ejus membranarum comitati, accidunt.

DIAGNOSIS.

 DIAGNOSIS.

HAUD difficillimum erit ad *Rubeolam* dignoscendum ab aliis morbis, *Variola* nempe, *Erysipelate*, *Eruptione Miliaria*, *Scarlatina* et *Petechiis*; quibus misceri potest. *Rubeola* sternutationem, epiphoram, tussim siccam et raucam, excitat, priusquam eruptio sese ostendit. Porrò papulæ nunquam in suppurationem abeunt; sed plerumque in squamis, furfuri similibus, desinunt. Diathesis quoque phlogistica ferè semper maxima, febrem tam ardentem, quàm in Britannia fit, producit. Eruptio est etiam erythematis. In *Variola* autem, vix aut ne vix quidem, sternutamentum, epiphora, tussis sicca atque rauca, indicia primaria sunt. Pustulæ inflammatione afficiuntur, et, haud ita multò post, pure implentur. Diathesis etiam phlogistica minor, et eruptio est quoque phlegmonis. *Erysipelas*

las certam partem corporis tantummodo inflammatione afficit, et non papulas super cutem excitat: neque inflammatio *Erysipelatis* certo die morbi venit, neque discedit; neque signa *Catarrhi* adsunt: His rebus non erit difficile ad *Erysipelas* à *Rubeola* distinguendum. *Scarlatina* à *Rubeola* dignoscitur, rubore peculiari cutis diffuso super pectus, quod quasi vino rubro tinctum videtur; et affectu putrido faucium, quum adsit. Inter papulas autem in *Rubeola* distantiae exiguae intersunt.

Eruptio miliaria fit sudore cum nimio calore conjuncto, nonnunquam etiam rebus noxiis in stomachum acceptis*. *Eruptio* tamen neque super faciem videtur, neque in squamis discedit; sed forma pustularum exiguarum albarumque apparet, primo ad radices capillorum, deinde per totum corpus repit.

Petechiæ

* Aud. Prælect. Doctoris GREGORY.

Petechiæ in signis præredientibus comitantibusque à *Rubeola* multùm differunt, neque super cutem surgunt; et præterea frequentissimè *Febris Typhoidis* comites sunt.

PROGNOSIS.

PRÆDICERE exitum, qui accidere possit, ex omnibus indiciis cujusquam morbi, medicis utilissimum est: Plurimis in rebus prognosis *Rubeolæ* à *Variola* longè discrepat: In *Rubeola*, si eruptio cito in conspectum venerit, faustum est; et si papulæ extiterint non admodum rubræ, magis adhuc faustum. Papulæ numerosæ, minimè ad periculum addunt. Longè tamen aliter in *Variola* fit. *Rubeola* leni, cursuque ejus haud abnormi, ritèque tractato, exitum faustum sperare licet. “Omninò,” dicit SYDENHAMUS, “prorsus periculo vacant *Morbilli* si modo peritè tractentur.” Quum autem signa sunt abnormia, et cum *Febre Typhoide* conjuncta veri est simile, exitum futurum es-

se periculosum. *Febre* maximâ, difficultate spirandi, inquietudine, siti urgente, debilitateque magna, comitata, prognosin quidem cautissimè dare medicum oportebit. “*Morbilli* livescentes plures,” ait auctor jam citatus, “quàm ipsæ *Variolæ* necant.” Eruptione subitò et immaturè evanescente, ægri haud rarò morbo succumbunt. Morte appropinquante, dies noctesque ægrum tussis perpetua, ac *Diarrhœa* urgens, vexare perseverant. Si tamen postea eruptio in conspectum apertè venerit, febris et etiam signa ejus comitantia sicuti, inquietudo, anxietas, tussis, difficultas spirandi, diminuuntur; et si eodem tempore paulum virium æger recipit, medico felicem exitum tuto prædicere licet. Hæc sunt indicia periculosa *Rubeolæ Putridæ* a Doctore WATSON descriptæ*.

METHO-

* “Of those who died, we lost few in the first
 “stage of the disease; several on the two or three
 “first days of the second; more between the second
 “and third week. Some indeed even died more
 “than a month after their being first attacked. Of
 “those

 METHODUS MEDENDI.

IN curatione *Rubeolæ* medici plurimum inter sese differunt. Alii enim hanc, alii illam methodum efferunt; Inter opiniones igitur diversas medicorum quidem peritissimorum, eam
methodum

“ those who died, some sunk under laborious respiration; more from a dysenteric purging, the disease having attacked the bowels; and of those one died of a mortification of the rectum. Besides this, six others died sphacelated in some one or more parts of the body. The girls who died most usually became mortified in the pudendum. Two had ulcers in their mouth and cheek, which last was so corroded by them, that the cheek, from the ulcers within, sphacelated externally before they died. Of these one had the gums and jawbone corroded to so great a degree that most of the teeth on one side came out before she died. The lips and mouths of many who recovered were ulcerated, and continued so a long time.”

methodum curandi sequemur, quantum est in nobis, quæ ægro maximum commodum ferat.

Multis in casibus *Rubeolæ* paucis remediis opus est. Ut æger in lecto jaceat; se subcalidum ibi teneat; bibat copiosè e decocto hordeaceo, aliove liquore leni, et etiam regimen sequatur antiphlogisticum, oportet: hoc modo plerumque valetudinem consuetam brevè recipit. Sin autem morbus violentior sit, pulmone graviter oppresso, febre ardente, dolore pectoris sanguis, secundum ægri ætatem, violentiamque morbi, detrahendus; et, nisi allevatio fiat, iterum, et fortassè iterum adhuc, repetendus, secundum signa urgentia. Detractio sanguinis reliquis antiphlogistici regiminis anteponeunda est: quippe quæ non solùm humores, verùm etiam vires, seu tonum articularum minuat. Si *Dyspnœa* adhuc ægrum opprimit, emplastrum meloës vesicatorii, pectori summo, applicari, magno cum commodo potest.

In hac periodo morbi, post sanguinis missionem, emeticum commodè adhiberi potest, ut, viribus antispasmodicis, spasmum ultimorum vasorum solvat, et vim emplastri vesicatorii adjuvet, halitum cutis promoveat, et ea ratione egressum, mucii liberiores e larynge, trachea et bronchiis efficiat.

Balneum tepidum fortassè usui esse possit, ad cutem vasaque tensa relaxanda, quum signa gravia urgent, ut eruptio promoveatur; quo levamen indiciorum plerumque concilietur.

Tussis molesta mitigari potest, usu copioso medicamentorum pectoralium; veluti mucilaginis amyli, vel gummi mimosæ niloticæ, cui paululum tincturæ opii addatur. Hæc medicamenta fauces linunt, quò minùs irritatione afficiantur. Præparata opii maximum ægro commodum afferunt; postquam inflammatio et *Dyspnœa* subacta fuerint, minuendo tussim, quæ pulmonem irretet, inflammationem iterum, et exinde effusiones humoris in texturam
cellularem

cellularem excitet. Opiata etiam somnum, qui vires et corporis et animi recreat, ægrumque aptiorem oneri ferendo reddit, invitant.

Medicamenta, quæ alvum ducunt, ad finem versus morbi, alii medici laudant, alii declamant. Alvus, opinione nostra, facilis teneri debet; neque necesse est purgatione alvi sæpissimè uti. Sed haud rarò, sub finem morbi, ex inflammatione intestinorum cum *Erysipelate* conjuncta, oritur *Diarrhœa*, quam purgatio plerumque allevat*. Si *Diarrhœa* adhuc perstiterit, detractio sanguinis usu utilissima ei minuendo reperta est.

Frigus corpori ægri *Rubeola* laborantis liberius admissum, nostro judicio, periculosum est, multisque malis viam sternere potest: quanquàm a nonnullis liberè adhibitum fuerit, usu tamen longiore exquiratur, an prosit an obsit, necesse est.

In

* Prælect. Doctoris GREGORY.

In libro recenter in lucem edito Doctor PEART, ammoniam in sananda *Rubeola* multum extulit; imò etiam dicit unum ejus ægrorum postquam doses duas solùm medicamento hujus sumpsisset, vice opis indigendæ medicinalis, Doctorem visisse.

Violentiam morbi, magna ex parte, obviam it regimen.

Sub finem morbi, est res magni momenti, ne æger se frigori præmaturè objiciat: hoc enim tempore frigus, quocunque modo applicatum corpori, haud rarò *Catarrhum, Phthisin Pulmonalem*, aliosve affectus inflammationem habentes incitat. Mutationes subitæ ex aère calido in frigidum, morbo adhuc præsentem, fugiendæ; utpote quæ sæpissimè multorum malorum, et etiam mortis, causæ ægris fuerint.

Quum autem morbi alii *Rubeolam* subsequuntur, remediis idoneis secundum eorum naturam,

naturam, signorumque violentiam, viresque et ætatem ægri, tractandi.

In *Rubeola Putrida* DoctOR WATSON diætam nutrientem, vinum, cinchonam officinalem, cæteraque tonica vel stimulantia remedia, idque nostra opinione jurè, commendat.



DISSEMINATION OF KNOWLEDGE

IN THE

LIBRARY OF THE